

## APRILIS

Die 23 Aprilis

S. Georgii, martyris

Memoria

*Omnia sicut in Missali Romano : De communi martyrum ( pro uno martyre tempore paschali )*

*Collecta propria : cf Miss. Rom. (p. 542)*

Die 24 Aprilis

Ss. Mariæ Cleophæ aliarumque sanctorum Christi discipularum  
Memoria

*Ant. ad introitum*

Mt. 28, 10

Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaéam : ibi me viderunt ( T.P. Alleluia )

*Collecta*

Deus, qui bœatæ Mariæ Cléophæ  
aliisque sanctis muliéribus dedisti,  
ut, tuum secútæ Fílium, ei sédulo ministrarent,  
fac et nos, quaésumus,  
Christo in fratribus fidéliter deservíre.  
Qui tecum vivit.

LECTIO PRIOR ( prop्र. )

« Erant in oratione cum Muliéribus »

Léctio Actuum Apostolórum

1, 12-14

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, revérsi sunt

Apóstoli in Ierúsalem a monte qui vocátur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter.

Et cum introíssent, in cenáculum ascendérunt ubi manébant, et Petrus et Ioánnes et Iacóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Iacóbus Alphæi et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi. Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus et María Matre Iesu et frátribus eius.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 22,1-3.4.5.6. (R.Ps 15,2 a)

R. Tu es, Dómine, pars hereditatis meæ ( vel Alleluia )

- 1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit :  
in páscuis viréntibus me collocávit :  
super aquas quiétis edúxit me,  
ánimam meam refécit.  
Dedúxit me super sémitas iustitiæ propter nomen suum. R.
- 2 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,  
non timébo mala, quóniam tu mecum es.  
Virga tua et báculus tuus  
ipsa me consoláta sunt. R.
- 3 Parásti in conspéctu meo mensam  
adversus eos qui tribulant me;  
impinguásti in óleo caput meum,  
et calix meus redúndat. R.
- 4 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me  
ómnibus diébus vitæ meæ,  
et inhabitábo in domo Dómini  
in longitúdinem diérum. R.

ALLELUIA

cf Mt 28,2 et 6

R. Allelúia V. Angelus Dómini descéndit de cælo, et dixit  
muliéribus : Quem quaéritis, surréxit sicut dixit.

R. Allelúia.

EVANGELIUM (prop.)

« Exierunt cito de monumento cum timore  
et gaudio nuntiare discipulis eius. »

† Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaéum 28, 1-10

Sero post sábbatum, cum illucésceret in primam sábbati, venit María Magdaléne et áltera María vidére sepúlcrum. Et ecce terræ motus factus est magnus : ángelus enim Dómini descéndit de cælo et accédens revólvit lápidem et sedébat super eum. Erat autem aspéctus eius sicut fulgur et vestimén-  
tum eius cándidum sicut nix. Præ timore autem eius extérriti sunt custódes et facti sunt velut mórtui.

Respóndens autem ángelus dixit muliéribus : « Nolíte ti-  
mérē vos, scio enim quod Iesum qui crucifíxus est quaéritis. Non est hic : surréxit enim sicut dixit. Veníte, vidéte locum ubi pósitus erat. Et cito eúntes dícite discípulis eius : Sur-  
réxit a mórtuis, et ecce præcédit vos in Galilaéam, ibi eum vidébitis. Ecce dixi vobis ».

Et exeúntes cito de monuménto cum timóre et magno gáudio cucurrérunt nuntiáre discípulis eius.

Et ecce Iesus occúrrit illis dicens : « Avéte ». Illæ autem accessérunt et tenuérunt pedes eius et adoravérunt eum. Tunc ait illis Iesus : « Nolíte timérē; ite, nuntiáte frátribus meis ut eant in Galilaéam et ibi me vidébunt ».

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Deus, qui sanctis dedísti muliéribus  
Cruci Unigéniti tui fidéliter adstáre,  
fac, quæsumus, per huius virtútem mystérii,  
ut, passióníbus Christi communicántes,  
consórtes et glóriæ fíeri valeámus.  
Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum.

*Ant. ad communionem*

Act 1, 14

Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum mu-  
liéribus et María Matre Iesu (T.P. Allelúia).

*Post communionem*

Cælestis doni benedictiōne percépta,  
súpplices, te, Deus Salvátor, deprecámur:  
ut, qui Sanctis Muliéribus  
in glória Resurrectiōnis tuæ apparuísti,  
nos quoque fácias gáudiis resurrectiōnis in cælis pérfrui.  
Qui vivis.